

1738,7
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,

DE

PRÆSCRIPTIONIBVS,

QVAM

DEO OMNIVM PRÆSIDE

EX DECRETO ET AVCTORITATE

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

IN ALMA AC PERANTIQVA ELECTORALI
VNIVERSITATE ERFORDIENSI,

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IURE HONORES,

AC PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE AC LEGITIME CAPESSENDI,

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI

DIE IX. SEPTEMBRIS, A. MDCCXXXVIII.

PVBICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
HORIS CONSVETIS,

AVCTOR

JOANNES MICHAEL BERNARDVS

Streder

Dingelstadio - Eichsfeldiacur.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

DSSERTATIO IN AVERALIS JURIDICA

DE

PRESCRIPTIONIBUS

DEO OMNIVM PRESIDE

EX DECRETO ET AUCTORITATE

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

IN ALMA AC PRÆSTIGIA AUCTORALIA

UNIVERSITATE ERFOORDIENSIS

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROVE IURE HONORES

AC PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE AC LEGITIME GATENDI

IN AUDITORIO ICTORVM MAIORI

DE IX SEPTEBRIS A. MDCCLXXIII

PUBLICO EXAMINATORVM EXAMINI SUBMITTIT

HORIS CONSERTI

AUCTOR

IOANNES MICHAEL BERNARDVS

Erffordien

Dingelshausen - Buchdruckerei

ERFORDIAE

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.





Q. D. E. V.

DISSERTATIONIS INAUGVRALIS

DE PRÆSCRIPTIONIBVS

CAP. I.

*De naturâ ac definitione præ-
scriptionis.*

§. I.



Qvod utilissima sit ac saluberrimum Reipublicæ
promoveat finem, & effectum præscriptio, id
ipsum sat multi, ast serò nimis cum flebili re-
rum suarum jacturâ, & bonorum dispendio
didicere negligentes rerum, atque jurium do-
mini, qui cum possessionem, vel quasi fortui-
to fortassis casu, belli, pestis, incendii tem-
poris, sive alio fortunæ novercantis impetu amiserant, in-
defessa eam inquisitione recuperare potuissent, dummodo
ea, quæ diligentem patrem familias decent, media adhibere
allaborassent: Licet etenim salutaris illa præscriptio nonnul-
lis primo intuitu videatur iniqua, dum criminantur, quod
contra naturalem æquitatem ac jus gentium, præscriptio
aliquem suo privet dominio, cum tamen nemini invito jus
quæsitum possit auferri, nec alter cum alterius jactura de-
beat locupletari *L. 206. ff. de Reg. Jur.* Verùm recte hoc sta-
tutum est in favorem boni publici, & pœnam negligentia,

ne scilicet dominia rerum vagentur in incerto *l. i. ff. de usurp. & usucap. ac litium aliquis tandem sit finis l. fin. ff. pro suo.* Nec possessores amittendarum rerum metu semper torqueantur *L. 7. Cod. de prescript. 30. ann.* Hinc etiam damnum, quod negligens suâ culpâ sentit, non sentire videtur *L. 203. ff. de Reg. jur.*

§. II.

Priusquam autem ad definitionem prescriptionis progrediar, videndum erit, num prescriptio differat ab usucapione, quare me non erraturum reor, si dicam, quod magnæ olim intercesserint differentiæ prescriptionem inter & usucapionem, prima erat in rebus possessis & loco, dum usucapio in rebus mobilibus omnibus, & immobilibus soli Italici; prescriptio autem in rebus immobilibus, provincialibus tantum obtinuit *pr. Inst. de usuc. l. un. Cod. de usuc. transform. pr. Inst. d. t. n. 4.* quod ad populum Romanum jure quodam occupationis dominium directum prædiorum provincialium pertinuerit, in cujus recognitionem possessores stipendia, & tributa pendere cogebantur, utili tantum dominio ipsis relicto; hæc igitur prædia, quemadmodum modis acquirendi dominium ex jure Quiritum, quibus dominium perfectum seu quiritarium, ut vocabant, pariebatur, veluti per mancipationem, cessionem, vel nexum &c. non transferebantur, ita nec per usucapionem eorum dominium quis nancisci poterat, & sicut dominium bonitarium, sive illud utile, sive alio nomine appellemus, in detentores transibat, ita simile dominium, bonæ fidei possessor mediante longi temporis prescriptione acquirebat. Unde altera differentia erat ab effectu: usucapio enim tribuit dominium perfectum, & Quiritarium, nec non pullulantem ex dominio rei vindicationem directam per *L. 3. ff. de usuc.* prescriptio e contra tantum jus quoddam dominio proximum, nec actionem directam, sed utilem (prout ex *L. si quis Emprionis 8. in princ. Cod. de prescr. 30. ann.* elucescit) & simul exceptionem parturit. Tertia differentia erat à tempore: quod in usucapione rerum

rum mobilium anno ubique uno, & in usucapione rerum immobilium Italicarum biennio concludebatur; in præscriptione verò prædiorum provincialium ad 10, vel 20. annos protendebatur *d. pr. Inst. de usuc. l. un. Cod. de usuc. transf.* Quarta erat à contrario, hoc est ab interruptione: nam usucapio rerum tam mobilium, quàm immobilium non poterat interrumpi civiliter: præscriptio ex adverso per litis contestationem censebatur interrupta *l. nec bona Cod. d. r. l. 2. in fin. pro Empr.* Verum omnes hæc differentie hodie sunt sublatae *l. un. Cod. de usuc. transf. l. 4. §. 22. § l. 21. ff. de usurp. § usuc.* ita ut idem præscriptionis & usucapionis sit effectus, de quo fusius differentes vid. ZOES. *ad ff. b. r. n. 2. TREVTLER. Vol. 2. d. 22. Tb. 1. lit. H. SCHNOBEL. disp. 20. Tb. 27. § alii.*

§. III.

Definitur autem usucapio per Iustum MODESTINUM *in l. 3. ff. de usuc.* quod sit: *adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti;* dicitur adjectio domini non utilis tantum, verum etiam directi sive pleni *L. 20. Cod. de pact. l. 1. ff. de usuc.* cum simpliciter in definitione fiat domini mentio, prior autem verbi significatio in dubio assumi soleat, *cap. pen. X. de sent. excommun. confer. Text. in L. Traditionibus 20. Cod. de pact.* ubi comparatur usucapio traditioni, per quam certum est, dominium plenum transire ZOES. *b. t. n. 3.*

§. IV.

Est autem inter alias præscriptionum divisiones, quas omnes hic commemorare angustia paginarum non permittit, præscriptio alia *legalis* alia *Conventionalis*, *Legalis*, quæ ex tempore legibus definito suam capit substantiam, & est huius loci, *Conventionalis*: quæ ex tempore, speciali hominum conventionem determinato vires accipit. Definitur hæc à SAMUELE STRYKIO *in dissert. Francofurt. Vol. 1. disp. 1. cap. 2. num. 1.* quod sit pactum contractui adjectum sub certo temporis spatio, ante cuius lapsum vel quidquam ab alterâ parte præstandum, vel post lapsum perimitur obligatio, habet autem locum in contractibus, maxime in emptione venditione, huic namque frequentissime adjiciuntur pacta legis

commifforia, & addiitionis in diem, quibus individuum quafi comitem fe jungit præfcriptio conventionalis, enim verò in pacto legis commifforia, quando partes inter fe conveniunt, ut pretio intra certum tempus ab emptore non foluto res fit inempta, præfcriptio conventionalis id operatur, ut, fi emptor huic conventioni non paruerit, contractus refolvatur, & refcindatur, ac dominium ad venditorem redeat; quam in rem eft famofus Textus in *L. Emilii* 38. ff. de minor. Similiter in pacto addiitionis in diem, quando contrahentes ita paciſcuntur, ut, fi intra definitum tempus, aliud meliorem conditionem obtulerit, res fit inempta, præfcriptio *Conventionalis* vel irrevocabile dominium ex parte emptoris prognerat, fi melior conditio non fuerit oblata, vel idem dominium ad venditorem transfert, fi melior extiterit conditio. *L. in diem* 1. ff. de addiit. in diem.

§. V.

Interim præfcriptio, de qua præſens eft differtatio, procedit non modo de jure civili, verum etiam de jure canonico & in foro confcientiæ, quia lex dicitur domina rerum, quas poteft ex publicâ cauſa uni adimere & in alterum tranſferre, ſicut poſſunt privati in privatos per pacta & diſpoſitiones *cap. 1. diſt. 8. l. 1. ff. de conſt. princ.* & *L. Lucius* 11. ff. de evict. cum præſcriptiones utroque jure & civili, & Canonico ſint approbatæ vid. *PICHLER b. l. add. Perilluſtr. Dn. de KEES Inſt. b. t. n. 7.* accedit, quod lex juſta in foro externo, juſta quoque ſit in foro interno, nec eſt veriſimile, quod SS. Canones, qui principaliter ſalutem animarum intendunt, *cap. novit. 13. de judic. cap. ut animarum 2. de conſt. 6.* jura præſcriptionis approbâſſent, ſi effectus eorum confcientiæ repugnaret.

§. VI.

Dubium tamen hæc de re inter DD. oritur: Etenim pro negativâ facit, quod præſcriptio fundetur potiſſimum in poenâ negligentium, qui proinde, ſi reverâ non fuiſſent negligentes culpabiliter, ſed potiùs ignorantes, non procedet hæc lex poenalis, & in præſumptione fundata, contra eos in foro interno, quidquid in foro externo, ad amputandas

tandas lites statuatur; Quemadmodum denegatur actio læsis infra dimidium iusti pretii, & tamen debet fieri restitutio ALCIAT. ad l. *quinque pedum pen. Cod. fin. reg. urgent*: Quod Imperator etiam in *Nov. 9. impium præsidium, & improbam temporis allegationem* dicat: verum quæcunque hæc in contrarium allata neutiquam obstant, ad prius enim dico, quod lex præscriptionis neque in poenâ, neque in præsumptione negligentiae principaliter fundetur, sed potius in quiete publicâ, & ut homines de suis possessionibus reddantur securi, ratio autem secundaria, & minus principalis est, ut desidia hominum res ac jura sua prosequi negligentium; vel acuatur vel puniatur *L. 2. Cod. de annal. Excep. p. KOENIG b. 1. n. 48. Confer. GRENECK. b. 1. q. 3.* Non etiam est paritas, quando lex actionem læsis infra dimidium denegat, & quando præscriptionem concedit, ibi enim tantum negativè se habet non assistendo in iudicio externo, hic autem in præscriptione positivè approbat, dominium adjicit, & possessionem securum reddit, quod vero Imp. in *d. Nov. 9. præscriptionem impium præsidium &c. appellet*, id eo sensu capiendum, quatenus improbi homines & malæ fidei possessores præscriptionis remedio contra ecclesias abutuntur, quam sententiam propugnant *Gl. PANORM. BARB. in collat. ad cap. vigilantium s. X. de præscript. COVARRUV. ad cap. possessor de R. 3. in dno. p. 3. s. 2. n. I. LAYMANN. in Theol. mor. lib. 3. Tract. 1. cap. 8. n. 4. FACHIN. L. 1. Contrav. cap. 64.*

CAP. II.

De necessariis præscriptionis requisitis, & rerum præscribendarum habilitate.

§. I.

UT autem suum sortiatur effectum præscriptio, sic quinque regularitèr à DD. solent desiderari, quæ sequentibus comprehenduntur versiculis:

Non

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque

Recta fides iustus titulus res non vitiosa

Ut res tradatur, possessio continuetur.

§. II.

Primum igitur requisitum est bona fides, quam definit MODESTINVS in l. 109. ff. de V. S. Quod sit opinio, quæ quis credit se esse dominum, rei possessæ, econtrario excluditur mala fides, quæ est opinio quæ quis novit rem esse alienam & tamen pro suo habet l. 2. §. 1. & l. 7. §. 4. ff. pro Empt. Sufficit autem Jure Civili Romano bonam fidem saltè m adeste ab initio, nam mala fides superveniens non impedit usucapionem l. 48. §. 1. ff. de A. R. D. & §. 7. Inst. de usuc. secus tamen volunt S. S. canones, qui salutem animarum primario intendentes, omne, quod non est ex fide, peccatum esse, remque alienam cum m. f. detineri non posse, prædictæ juris civilis constitutioni derogârunt, ita ut nulla hodie procedat cum malâ fide, sive ab initio, sive ex post facto superveniente, qualiscunque temporis præscriptio: cap. vigilantis §. cap. si diligenti 17. & cap. fin. X. b. r. Ratio, quæ summos pontifices ad reformationem juris civilis permovit, est periculum animæ, occasio peccandi, origo injustitiæ, quæ ex admissione præscriptionis cum malâ fide succrescit; dum non tantum furtis, ac rapinis laxatur frenum, verum etiam malefactorum, fures & raptorem supplicii loco, præmium reportant, cum non modicâ domini innocentis jacturâ. Et hæc correctio non tantum in terris pontificis, sed & in terris imperii & toto orbe christiano attendenda est per Text. Cap. Novit. 13. de judic. id quod etiam in camera observari testantur HARPRECHT. ad Tir. Inst. de usuc. in princ. n. 79. & MYNSINGER 4. obs. 6. n. 4.

§. III.

Altera qualitas, quam ab initio præsentis cap. exegi, est titulus, qui in genere acceptus dicitur causa, ex quâ rem habemus, sive causa ad dominium, aut usucapiendi conditionem transferendam habilis uti emptio donatio, permutatio &c. hinc excluduntur tituli domini non translativi uti sunt

sunt commodatum, depositum, pignus, locatio &c. cum quibus usucapio nequitiam procedere potest, quâ de re titulum, sive causam justam in omni præscriptione, etiam jurium & servitutum, si scilicet hæc à non domino, sive b. f. possessore, quem quis dominum credit, fuerint constituta, requiri constat ex *L. fin. Cod. de long. temp. præf.* conf. SCHMALTZGR. *tit. usuc. n. 84.* FICHLER. *cod. tit. n. 42.* & seqq. concordat GRENECK. *b. t. q. 35.*

§. IV.

Tertio requiritur, ut res præscribenda non sit vitiosa, talis nimirum, quæ ex lege, sive jure positivo præscribi non prohibetur, dantur etenim res suâ naturâ non præscriptibiles ex eo, quod in bonis & commercio privatorum non sint, hinc excluditur liber homo: cum enim ex unâ parte tantâ circumfluat excellentiâ, ut æstimationem non recipiat *L. libertas 106. ff. de R. I.* ex alterâ parte verò tantâ scateat suavitate, & voluptate, ut ejus recuperandæ occasionem nemo præsumatur negligere, uti loquitur PUFFENDORFF. *de J. N. & G. cap. 12. §. 2.* is, qui diuturno tempore in servitute persistit, atque ad libertatem non proclamavit, potius conditionem suam ignorasse, quam ejusdem recuperationem vilipendisse præsumitur ab omni prorsus præscriptione securus per *Text. Inst. §. 1. b. t.*

§. V.

Nec præscribuntur res sacræ sanctæ, & religiosæ *§. 1. J. de usuc. & L. 9. ff. cod.* harum quippe rerum tanta in jure habetur veneratio, ut neque actu, neque potentia liberæ hominum dispositioni subiectari possint FRANTZK. *ad tit. Inst. de R. D. num. 2.* Quoad sacras tamen res doctissime advertit Magnif. P. KÖNIG *ad b. t. n. 7.* si rursus profanarentur, præscriptioni fore suppositas: quia videlicet primævam qualitatem consecrationis, ob quam humanam effugerant commercium, perdidit. *arg. L. cum loca ff. 36. de Relig. & sumpr. fun.* Sic etiam prohibentur præscribi jura spiritualia, & Ecclesiastica respectu laicorum, cujusmodi sunt Jus eligendi, conferendi beneficia Ecclesiastica &c. quæ, etsi à clericis,

B

neu-

neutiquam tamen, uti dictum, à Laicis præscribi possunt, utpote quorum commercio non sunt obnoxia per *cap. causam 7. b. t. C. decernimus 2. de judic.*

§. VI.

Huc referuntur limites parochiarum, Regionum, provinciarum, diocesium *cap. quicumque 4. cap. super eo 4. de paroch.* ne scilicet inextricabilis confusio ex confusione, vel immutatione limitum, aut terminorum oriatur, item respubi- cæ, communes, universitatis, uti sunt mare, aër, littora, flu- mina, fora, theatra, viæ publicæ &c. quæ licet absolutè non dedignentur humanam subire potestatem, cum de facto & maria, & flumina & littora eorumque jura in dominium principum, & rerumpublicarum transferint, uti commemo- rat STRUV. *in synt. jur. feud. cap. 6. tb. 7.* attamen, quamdiu re- manent communes, publicæ & universitatis, à privatis quâ talibus præscribi nequeunt *l. usucapionem 9. l. præscriptio 45. in pr. ff. de usurp. & usuc.* ut sic enim privatorum commer- cio quoad proprietatem non subsunt. *pr. §. 1. & 2. Inst. de R. D.*

§. VII.

Inter res præscribi inhabiles maxime sunt *res furtivæ & vi possessæ*, quarum præscriptio non tantum juri ipsi, sed & quicumque etiam b. f. possessori prohibetur, ita enim sub ipsa juris Romani primordia, uti refertur in *§. furtiva quoque 2. §. quod autem 3. Inst. & L. non solum 33. in princ. ff. de usuc.* cau- tum erat, ne rei furtivæ usucapio admittatur, indignum nempe & absouum primi jurisprudentiæ parentes judicârunt, ut dominus privetur jure rei, quam neque tractavit negligenter, neque habere voluit pro derelictâ, sed fraudulentâ alterius perdidit machinatione, limitatur, ut, si furti, aut violentiæ vitio res furtiva purgata fuerit, præscribi non vetetur, pur- gatur autem duplici modo, nempe 1.) vel per lapsum 30. an- norum, quia tanto tempore omnes profus actiones sive reales sive personales exspirare certum est *ex L. sicut 3. L. omnes 4. Cod. de pres. 30. vel 40. ann. vel 2.)* si denuo in manus domini restituta seu reversa fuerit *§. 3. Inst. de usuc.*

§. VIII.

§. VIII.

Item res & actus meræ facultatis, quæ alias vocantur libertatis GROT. lib. 2. de Jur. Bell. & Pac. c. 4. & sunt actus à méro arbitrio alicujus dependentes, ex libertate naturali vel gentium universitatis iure communes, quorum proinde exercitium, seu omisso alteri nullum jus tribuit, & exercenti omittentis non præjudicat, hi actus, quoniam à liberâ agentium voluntate pendent, præscribi non videntur, cum tales præsertim actus incerti sint, ac variables, nec quisquam in iis legem sibi imponere possit, à quâ recedere ipsi non liceat l. 22. ff. de leg. 3. neque eorum, quæ adhuc à voluntate pendent, ac nondum existunt, possessio, vel quasi habeatur, hinc patet, quod iuribus facultatis nulla unquam temporis intercarpedine præscribatur, licet tales actus vel infinitis vicibus repetiti fuerint. BALD. ad l. 1. n. 10. Cod. de Servit. & aq. & per longum vel longissimum tempus continuati THOMING. Cons. 17. n. 65. & seq. Quemadmodum autem nulla regula sit tam firma, quæ non vitietur, uti loquitur JCTUS PAVLVS in l. 1. ff. de R. I. id est: quæ non suas patiatur limitationes, sic, si ad res & actus meræ facultatis accesserit prohibitio ex unâ, & acquiescentia ex alterâ parte, eos præscriptioni fore obnoxios, nullus dubito, id quod innuere videtur L. 18. §. fin. ibi qui jus suum ff. quemad. serv. an. quam limitationem apud JCTOS receptam testatur LAYM. in Theol. mor. lib. 3. Tract. 1. n. 8.

§. IX.

Utrum autem juri luendi pignoris præscribi possit, ardua nonnullis quæstio videtur, quod affirmare cum aliis nititur GAIL. 2. Obs. 18. pro quo facit 1) quod præscribi possit juri retrahendi, uti traditur tit. Cod. de pact. inter Empt. & vend. facit 2) quod in l. 4. Cod. de præscr. 30. vel 40. ann. dicitur: Nullum esse jus, quod non perimatur 40. annis: Verùm utrumque non obstat, ad 1) enim Respondeo: Actio competens ex jure retrahendi nata jam est in venditione, secus autem est in jure luendi pignus, cum actio pignoratitia demum nascatur per solutionem, ergo contra actionem nondum

dum natam non datur præscriptio. Ad 2) nullam scilicet jus esse, quod non perimatur 40. annis, dico, intelligendum hoc esse de jure actionis, & iis, quæ de jure competunt, non verò de iis, quæ sunt meræ facultatis, de quo ZOES. *ad ff. tit. de usuc. n. 41.* Certum igitur est, jus offerendi, quod competit debitori, adversus creditorem pignoratitium, nunquam præscribi, quia præsertim creditor non sibi possidet, sed debitori, ita Jctus *in L. pignori 17. ff. de usuc.* licet pactum legis commissoria fuerit additum pignori, uti demonstrat MOLLER. 7. *se-mestr. 19. CARPZ. P. 2. C. 1. def. 3. per tot.* ampliatur: ut neque hæres creditoris pignoratitii juri luendi possit præscribere, cum mala fides defuncti impediatur præscriptionem in successore universali, non tantum, quando vult uti accessione temporum, quibus defunctus fuit in possessione, sed & quando ex propria personâ vult computare tempus præscriptionis, hæres enim ignorance suâ, vitia defuncti excludere non potest. *l. 11. ff. de div. temp. præscr. FABER. in Cod. tit. plus valere def. 2. n. 1.* Quia in universum jus defuncti succedit, ejusque personam repræsentat. *L. 9. §. 12. ff. de hered. Inst. & L. 24. ff. de V. S.* adeoque sicut defunctus non potuit præscribere, ita nec hæres, cujus etiam interest, ne fama defuncti, quam ut propriam defendere debet, lædatur *l. 1. ff. de injur.*

§. X.

Quartum requisitum scilicet: *rei traditio* non quidem necessitate antecedenti, ut nonnulli volunt, sed necessitate consequenti tantum constituit præscriptionem, quia justa possessio vel bona fides, sive titulus ad transferendum dominium habilis sine eâ deficit. ARNOLD. BATH. *in Tract. de Usucap. c. 5. assert. 1.*

§. XI.

Quinto & postremo desideratur *possessiois continuatio*: Continuatur autem possessio, si per usurpationem, quæ in rubricâ *ff. de usurp. & usuc.* definitur: quod sit nihil aliud, quam *usucapionis interruptio*, interrupta non sit, aut non dormiverit, differant tamen inter se dormire, & interrumpi præscriptionem, si etenim dormiat, tunc illud solum tempus, quo dor-

dormivit, subtrahitur, & prius cum postremo conjungitur, si vero interrumpatur, denuo inchoanda erit, dormit autem talis præscriptio v. g. tempore vacantis ecclesiæ, quæ mortuo vel in hæresin lapsò prælato censetur carere legitimo defensore *cap. de quartâ 4. § cap. auditis 15. X. b. t. confer. cap. 1. § fin. ne sede vacante.* Item dormit sævientis belli, vel pestis grassantis tempore, quia non valenti agere non currit præscriptio *L. 1. §. 2. Cod. de an. præf. cap. 10. X. de præf. Mec. p. 8. decif. 279.*

§. XII.

Interrumpitur verò præscriptio vel *naturalitèr* vel *civilitèr*, *naturalitèr* actu scilicet naturali, ac verâ possessionis ablatione, utpote si res mobilis furto ablata *l. 5. ff. b. t. civilitèr* jure possessionis in dubium vocato, idque vel *judicialitèr*, quod fit hodie solâ citatione *l. 2. Cod. de ann. Exc.* citatus tamen debet esse condemnatus; Toties enim citatio demum interrumpit præscriptionem, quoties contra citatum sequitur sententia, secus si fuisset absolutus: Judicium enim reo absoluto nunquam nocet, igitur & hic possessio in statu quo permanere debet *§. 4. J. de Interd. L. 18. § 21. ff. de R. V. vel extrajudicialitèr*, per privatam denunciationem, contradictionem, vel protestationem *L. 17. C. de R. V.* Tempus autem ad præscribendum requisitum variat pro diversitate rerum & causarum de quo infra agetur.

CAP. III.

*De subjecto tam activo, quam passivo
præscriptionis, sive de iis personis, qui-
bus, & contra quas præscriptio
competat?*

§. I.

Juxta legem *4. §. 1. ff. de usuc.* generatim loquendo, præscribere potest omnis, qui est capax juris realis sive personalis,

lis, ratio est: quia præscriptio est modus acquirendi vel jus, vel liberationem à jure, & in specie non tantum paterfamilias, sed etiam filius familias, dummodo observetur peculiorum distinctio, cum igitur hic in peculio Castrensi vel quasi obtineat plenum dominium habeaturque fictione juris pro patre familias, *tot. tit. ff. & Cod. de castr. pec. Antb. præsbitevos & diaconos Cod. de Episc. & cler.* quæcunque ex causa hujus peculii ab eo, qui dominus non erat, receperit, ad instar alterius patris familias, præscribere valet *d. l. 4. §. 1. b. t.* similiter cum in peculio adventitio extraordinario & proprietate, & usufructu gaudeat per *nov. 117. cap. 1. §. 1.* gaudebit etiam beneficio præscriptionis, si rem alienam in hoc peculio numeravit, e contra, cum in peculio adventitio ordinario sola proprietas ad filium, usufructus autem ad patrem spectet *l. cum oportet 6. §. 5. cod. de bon. qua. lib.* res eo nomine acquisitas sibi quoad proprietatem, patri quoad usufructum præscribit. In peculio verò profectitio, uti proprietas & usufructus est patris, ita filius non sibi, sed patri, cujus nomine possidet, præscribit *l. possessio 1. §. 2. ff. de A. vel A. p. ZOES. ad ff. ad b. r. n. 5.*

§. II.

Item pupillus, *infante major* sive cum tutoris auctoritate, sive solus præscribere potest, *si animo possidenti rem apprehenderit c. 4. §. 2. ff. de usuc. ratio defumitur ex §. pupillus 9. Inst. de inut. stip.* ubi pupillus alium sibi absque tutoris auctoritate obligare posse dicitur, quia sic conditionem suam reddit meliorem, iniquum etenim foret, si quod in favorem ipsius introductum erat, in ejus odium dispendiumque detorqueretur contra *cap. 61. de R. J. in brojunctâ l. non eo minus 14. Cod. de procurat.* adeoque cum in casu præscriptionis pupillus potius alium sibi, saltè mediatè, obligat, quam se alteri, suamque evidentèr conditionem facit meliorem præscribere omnino posse dicendus est, notantèr tamen dictum *l. pupillus infantia major.* nam si adhuc infans sive minor sit septennio, tunc ob defectum possessionis, quam sine tutore non acquirit *l. quamvis 33. §. 2. ff. de A. vel A. p.* positivè præscribere

re nequit, sicut econtrario rem autoritate tutoris possessam rectè præscribit D. PHILIPP. BRAARO *ad b. t. p. m. 167. 2do si animo possidendi rem apprehenderit*: ad præscriptionem positivam quippe requiritur possessio, quæ non nisi animo & corpore initium capit *l. possideri 3. §. 1. ff. de usuc.* unde aliud dicendum de præscriptione privatâ, in quâ possessione non egemus.

§. III.

Furiosus quoque, licet usucapionem cum furore inchoare nequeat, ex eo quod affectione, consequentèr etiam animo sibi habendi careat, id tamen quod ante furorem possidere cœpit, usucapit *l. 4. §. 3. ff. b. t. cum non requiratur nova actio, sed præcedens durare intelligitur, modo tamen ex tali causâ, ex quâ sequitur usucapio, possederit, id quod ita utilitate suadente receptum esse ait PAPINIANVS in C. justo 44. §. cum quoque b. ff. d. t. & rationem addit: ne languor animi damnium in bonis asserat, quo facit, quod furiosus, non possit desinere animo possidere, cum animum non habeat L. si 15. 27. ff. de A. vel a. poss. ampliatur: ut inchoatam non modo complere, verum & inchoare, ast cum curatoris consensu & autoritate præscriptionem possit; Quod utut nonnulli DD. in dubium vocare velint, ex eo, quod ad usucapionem requiratur adeptæ possessionis scientia, quæ in furiosum non cadit, nihilominus, sicut infanti per tutorem acquiritur *l. 4. §. 2. ff. de usuc.* quia non habet tenendi affectionem. *L. 1. §. furiosus 3. ff. de A. vel A. poss.* quam supplet Tutor *L. 32. §. infans 2. eodem.* Ita in furioso supplet curator, ut æquitatis & juris ratio idem in furioso statui postulet, quod in Infante hac de re obtinuit.*

§. IV.

Etiam excommunicatus sive majori sive minori excommunicatione potest præscribere ANTON. PEREGRINVS *de iure fisci lib. 3. t. 11. n. 36.* GILCKEN. *de præscript. P. 3. c. 6. n. 77.* Ratio est: Quia excommunicatio non infert incapacitatem ad jus reale vel personale, uti post plurimos docuit PANORMIT. *ad cap. veritatis 8. de dolo & contum. 35. & seq.* Cum pœ-

na spiritualis, qualis est excommunicatio, spiritualia duntaxat munera, & munia, non etiam jura temporalia & profana auferat, consequenter etiam non infert incapacitatem ad præscribendum.

§. V.

Capti ab hostibus, cum non sint in civitate, & possessionem deseruisse, usucapionem haud complere videntur, sed ea potius interrumpi dicitur *L. 15. ff. de usuc. l. in Bello 12. §. facti in fin. de capt. & postlim. revers.* ut reverso secundum jus postliminii non prolicet medium tempus ad usucapionem *d. l. 15. pr.* mortuo autem a quo hostes procedat hæredi possessio secundum fictionem *L. Cornelia*, quæ scilicet habetur mortuus in ipso captivitatis momento, verum de possessis per servum ante captivitatem, vel possideri coeptis post eam ex causa peculiari an procedat usucapio, diversæ fuerunt MARCELLI & JULIANI Jurorum sententiæ, prior enim hæredibus prodesse possessionem secundum fictionem *L. Cornelia* admittebat, posterior autem ipsi etiam reverso juxta fictionem juris postliminii, concedebat, & hujus sententia sequenda *per text. express. d. l. in Bello 12. §. 2. de capt. & postlim. rev.* secundum quam intelligenda *L. si is 15. in fine pr. ff. d. 1. de usurp. & usuc.* Cum autem satis actum de his esse putem, qui possint præscribere, videndum quoque erit contra quos competat præscriptio.

§. VI.

In genere igitur contra omnes & quoscunque rerum ac jurium dominos, qui juris activi capacitatem habent, e jusque juris nomine agere non impediuntur, præscriptio competit. *Rota Rom. in rec. p. 4. Tom. 1. dec. 315. n. 8.* nisi tamen quidam ex speciali Legum dispositione sint exempti, uti sunt v. g. principes ratione bonorum domanialium, quæ principi, ut principi in recognitionem subjectionis & supremæ potestatis debentur, & hæc præscriptioni nullo unquam modo obnoxia sunt, ratio est, quia hæc nimirum pertinent ad rem publicam, adeoque commercio sunt exempta, nec alienari possunt. *BRUNNEM. Ex. 8. ad Inf. §. 4. de usuc.*

§. VII.

§. VII.

Excipiuntur quoque pupilli, contra quos nulla currit præscriptio etiam nec longissimi temporis *l. 3. in fin. Cod. de præscript. 30. vel 40. ann.* ita ut contra defunctum licet inchoata, sistatur, & impubere pupilli ætate durante quasi dormiat *l. 48. pr. ff. de A. R. D.* eaque finita posteriora tempora cum prioribus continuentur. Quæ autem nunc de pupillis in h. §. differui, proportionaliter etiam de minoribus differenda sunt, quantum nempe attinet ad præscriptiones contra defunctum jam inchoatas STRYK. *disp. 1. ad L. Æmilius 38. ff. de minor. cap. 5. n. 5. & seq.*

§. VIII.

Neque etiam nocet præscriptio filiisfamilias ratione bonorum adventitiorum, quorum ususfructus est penes patrem, sed ea demum inchoatur à tempore, quo liberantur à patriâ potestate *l. 4. Cod. de bon. quæ lib. in fin. Nov. de Nupt. 22. cap. 24. §. sed quod sancitum;* cujus ratio est, quod ante liberationem à patriâ potestate iis non fuerit agendi licentia, aut nihil quoque illis imputari possit, cum impediuntur agere per *LL. quibus obediens, pœnam nullatenus merentur l. 1. in fin. & l. 8. Cod. de ann. Except.* Hoc modo etiam excipiuntur uxores ratione dotalium apud maritum existentium, quæ ex eo, quod alienatio illorum Lege Julia sit prohibita *l. 4. ff. de fund. dot. præscribi minime posse censentur.* Item non currit præscriptio contra milites in expeditione constitutos. *l. 1. C. quib. non ob. long. temp. præscript. idem est in absentibus Republicæ causa l. 2. & 4. Cod. d. 1.* Nec contra captos ab hostibus *l. 6. eodem.* de quibus & aliis fusius tractabitur in Cap. seq.

CAP. IV.

De objecto seu de iis rebus, quæ, &
quando hæc valide præ-
scribantur.

C

§. I.

§. I.

Quoad objectum præscriptionis pro infallibili & perpetuâ regula tenendum est, quod res omnes, quæ specialiter prohibita non reperiuntur, arg. cap. cum apud 23. de sponsal. l. mutus 43. §. 1. ff. de procurat. de quibus jam fultateque actum in præc. Cap. 2. per totum præscriptioni sint obnoxia l. sicut in rem 3. l. omnes 4. Cod. de præf. 30. vel 40. ann. sive sint mobiles sive immobiles, sive publicæ, sive privatæ, sive corporales, sive incorporales, uti omnia jura & actiones, incorporalium tamen sicuti propria non est possessio, ita nec propria usucapio, sed quasi usucapio dicitur, hinc venit, quod servitutum olim ante Justinianum non esset usucapio l. servitutes 14. ff. de servit. ob legem Scribonianam, quæ earum usucapionem inhibebat. l. 4. in fin. ff. de usuc. Et primo quidem favore libertatis & odio servitutis, ut prædia manerent libera, 2do quod servitutes per se non possideantur, d. l. 14. ff. de servit. 3tio quia incorporalia traditionem non recipiunt l. servus 43. §. incorporales ff. de A. R. D. quæ rationes sunt probabiles continentis juris subtilitatem: Aliud econtra visum fuit Justiniano Imperatori, qui earum præscriptionem permisit spatio 10. vel 20. annorum cum titulo, l. 2. §. pen. Cod. de servit. l. fin. Cod. de præf. long. temp. Non obstante, quod propriè non possideantur, ex eo, quod sint incorporales, ut nec usucapionem admittant. Respondeo enim: Servitutes saltem quasi possideri, ergo etiam quasi possessione per usucapionem posse acquiri, ubi distinctio facienda non est rusticas inter & urbanas in eo, quod quædam non habeant usum continuum, quales vocantur discontinuæ, cum sufficiat, easdem causam saltem continuam habere. C. JAC. in Rec. ad d. l. 14. de servit. DONELL. II. Comment. cap. II.

§. II.

Rerum autem corporalium tria genera ponit POMPONIUS in l. rerum 30. ff. de usuc. unum, quod continetur uno spiritu, uti homo, equus: alterum: quod ex contingentibus, ut ædificium, navis: Tertium quod ex distantibus, uti corpora uno nomini subiecta, veluti grex, populus, legio, &c. jam

jam ait Ictus in *d. l. primum* genus non habere quæstionem, quin omnes partes cum suo toto possideantur, ac usucapiantur: quia scilicet uno tantum spiritu continentur, in reliquis autem duobus quæstionem esse, cum ædes possidens, totum quidem possideat, non autem singulas res, ut hoc modo possessio totius, ad rerum singularum usucapionem non proficiat *l. 30. §. 1. Et l. cum qui 27. ff. de usuc.* dum scilicet tegulæ aut columnæ, aut alia tigna ædibus juncta possint esse furtiva, quorum usucapio non est, gregis quoque uti non ut univèrsi, sed singulorum capitum est possessio, ita & usucapio. *d. l. 30. §. 2.*

§. III.

Cum igitur certum sit, omnium rerum aliquas tandem, licet diversissimas in jure dari præscriptiones, hinc in sequenti videndum erit, quo, & quanto tempore qualibet res præscribatur, sive usucapiatur. Forma autem præscriptionis est, uti dictum, possessionis continuatio per tempus legitimum, quod etiam per aliam personam, v. g. successorem continuatur *§. 7. Inst. de usuc. vid. l. 14. ff. de div. temp. præscript.* univèrsalis enim successor licet sit in malâ fide, acquirit, quia in quasvis virtutes & vitia defuncti intrat, uti jam pluribus demonstratum supra in *Cap. II. §. 9.* singularis autem successor acquirit ex possessione prædecessoris *§. 8. Inst. Et l. 13. §. 10. II. de A. vel A. poss.* sed debet uterque esse in bonâ fide *L. 2. §. 17. ff. pro Empt. CARPZ. 2. c. 4. def. 17.* potest tamen etiam ex sua personâ inchoare, quod limitatur ex *Nov. 119. c. 7. Et Auth. Mala fidei Cod. de præf. long. temp.*

§. IV.

Priusquam verò ad differentias præscriptionum progrediar, pauca de computatione temporis memorare volui, computatur autem tempus in præscriptione positiva civiliter, id est de die in diem, ita ut ultimus dies coeptus habeatur pro completo HAVNOLD *Tr. §. cap. 2. contr. 4. n. 266.* & interpretes communiter, textus ad hoc probandum non unus extat, nam in *l. usucapione 15. ff. de div. temp. præsc.* ita dicitur: *in usucapione ita servatur, ut etiamsi minimo momento*

novissimi dici possessa res sit, nihilominus repleatur usucapio, nec totus dies exigitur ad explendum constitutum tempus. Idem dicitur in l. 6. ff. de usuc. ibi: in usucapionibus non à momento ad momentum sed totum postremum diem computamus. Ast in præscriptione privativa, qualis est in actionibus personalibus, tempus computatur naturaliter, ut dies ultimus cœptus non habeatur pro completo, sed ex integro compleri debeat HAVNOLD cit. loc. n. 267. BRUNNEM. ad l. in omnibus 6. ff. de O. & A. Ratio differentiae, quod præscriptio rerum, civilem, actionum autem præscriptio naturalem recipiat computationem, hæc esse videtur: quod in præscriptione positiva favor, in præscriptione privativa odium præscribentis intercurrat.

§. V.

Tempus autem legitimum variat, pro variatione & qualitate rerum, hinc olim in mobilibus unius anni, in immobilibus biennii possessio secundum LL. 12. Tabb. sufficiebat, quod tempus postea nimis breve visum, quo domini excluderentur rerum suarum dominio, unde statutum est, non alias perfici rerum mobilium usucapionem, quam trienniali, immobilium decenniali inter præsentem, & vicenniali inter absentes possessione L. un. Cod. de usuc. transform. præsentem autem dicuntur, qui in eadem provinciâ, absentes, qui in diversa habitant L. fin. Cod. de præscript. long. temp. quæ præscriptio 10. vel 20. annorum in jure vocatur longa, quod autem præcisè decem vel viginti, 30. & 40. anni hic & nunc statuuntur, ratio adæquata assignari nequit, sed id stat pro arbitrio legislatoris, ut & in testamento 7. testes, ac proinde in his recurritur ad L. non omnium 20. cum l. seq. de LL.

§. VI.

Sequitur jam præscriptio, quæ vocatur longissimi temporis, quod est 30, 40, 50, vel plurium annorum, ad præscriptionem igitur tricesimalem pertinent (α) Res private sine titulo b. f. tamen possessæ, uti videre est apud GRENECK ad j. Can. de præscript. q. 13. 39. & 40. (β) Res minorum l. 3. Cod. quib. non ob. long. temp. L. fin. Cod. in quib. caus. in int. (γ) Res filiorum familias adventitiæ à patre alienatæ per Nov.

22. c. 24. currit tamen hic tempus ex eo, quo filius familias sui juris factus *eod. Nov. (d)* Res à m. f. possessore ignorante domino alienata, & b. f. acceptæ *Nov. 119. cap. 7. & Auth. Mala fidei Cod. de long. temp. præscript. (e)* Res vitiosæ, furtivæ & vi possessæ non quidem a fure, & violento possessore, sed à tertio b. f. possidente *l. 8. §. 1. Cod. de 30. vel 40. ann. præsc. (z)* Feudum absque consensu domini & agnatorum male alienatum, tam quoad dominium utile, quam directum a b. f. possessore 30. annorum spatio præscribi potest, qua sententia, contra HARPRECHTUM, CLARVM, ANDREAM DE ISERNIA, FACHINÆVM *lib. 7. controv. 6r. & alios, propugnatur à MENOCHIO Consil. 143. n. 28. BALBO de præscript. 4. part. 4. princ. q. 12. n. 10. STRUVIO Syntag. jur. feud. cap. 13. appor. 10. n. 4. & probatur ex regulâ generali in §. 1. buj. Cap. posita: Omnes res atque jura, quæ specialem legis exemptionem non habent, præscriptioni sunt obnoxia, sed feuda nullibi specialem habent exemptionem (præterquam in 2. feud. Tit. 40. §. præterea & tit. 55. ut volunt adversarii, ejus tamen contrarium patebit ex 2. feud. tit. 26. §. siquis ubi feudista absolute in feudis præscriptionem concedit, si quis nempe rem aliquam, ut feudum possedit, & servitium præstitit, quamvis de illâ re investitus non sit, nec distinguit, utrum per alienationem aut alio modo, feudum acquisiverit, ergo nec nostrum est distinguere: per consequens feudum absolute præscribi posse dicendum est. vid. LAVTERB. ad ff. tit. de præscript. §. 38. huc referri possunt omnes actiones personales & jura incorporalia de quibus infra in specie agetur.*

§. VII.

Quadraginta annis præscribuntur 1) res immobiles Ecclesiasticæ *l. 23. Cod. de SS. Eccles. Nov. III. c. 1. Nov. 131. c. 6. & cap. 6. X. de præf. hinc sublatum est jus antiquum, ubi triennaria tantum præscriptio indulgebatur PICHLER. b. r. n. 40. & SCHMALTZGR. 101. & seq. ita ut una Ecclesia etiam contra aliam 40. annis præscribat c. de quarta 4. & c. ad aures 6. b. r. nec obstat: Quod juxta §. sed & hoc præfenti Nov. 123. de Sanctiss. Episc. privilegiatus contra æque privilegiatum non*

utatur privilegio suo: Respondeo enim, hoc verum esse, ubi uterque de eadem re privilegiatus existit, & simul exercent privilegium, uti monasterium non excludit à substitutione aliam piam causam, secus in nostro casu. 2) Res patrimoniales principum *l. fin. Cod. de fund. patr.* 3) Res fisci, quatenus ei jam pleno jure quæsitæ sunt *L. 4. Cod. de 30. vel 40. ann. præsc. confer. Text. & DD. in §. 9. Inst. de usuc.* 4) Res civitatum, Hospitalium, aliorumque piorum locorum *CARPZ. 2. C. §. def. 2. LAVTERB. h. t. §. 41.*

§. VIII.

Refert etiam RATH. in *Tract. de usuc. c. 5. assert. 35.* Monasteria quædam, & ordines specialitèr esse privilegiatos, ut longiori præscriptione gaudeant, & ita monasteriis benedictinorum ab Eugenio IV. Pontifice sexagenariam, ordinibus mendicantium, & ordini Cisteriensium primùm in Hispaniâ, deinde per communicationem in superiori Germaniâ centenariam à diversis pontificibus præscriptionem concessam fuisse conf. *MOLIN. disp. 72. l. 5. lib. 2. de J. & J. c. 4. dub. 8. n. 25.* Quæ centenaria & non brevier contra ecclesiam romanam admittitur *cap. ad audientiam 13. cap. si diligenti 7. in fin. X. b. t. Aurb. quas actiones cod. si. eccles.* Quod etiam de exemptis ecclesiis veram esse dicunt RATH. *Tract. de usuc. c. 5. assert. 28.* CHOCKIER *d. jurisd. ord. in Exempt. p. 1. q. 35. n. 3. & p. 3. q. 12. n. 4.* si nimirum de jure exemptionis agatur.

§. IX.

Habemus quoque præscriptionem, quam immemoriam appellamus, quando scilicet possessio tam diu duravit, ut initium ejus hominum memoriam excefferit *cap. super quibusdam 26. de v. s. l. 3. §. 4. ff. de Aq. quot. CARPZOV. p. 2. C. 1. def. 7.* ex quâ descriptione licet determinatus annorum numerus non appareat, ut ut plurimum tamen 100. eidem anni tribuuntur, hoc enim tempus hominis memoriam excedere creditur *l. 56. ff. de usufr. L. 23. Cod. de S. S. eccles. conf. BALB. de præscript. 2. p. 3. pr. q. 6. MYNS. conf. 13. n. 21.* Hæc præscribuntur jurisdictioni, vectigalia, jus collectandi, pedagia & aliâ

aliâ regalia, atque jura, quæ aliter præscribi non possunt, uti jus venandi, piscandi GEBN. de usuc. c. 5. n. 2.

CAP. V.

De præscriptione Actionum in specie.

§. I.

Cum notum sit, varia in jure deprehendi actionum genera, prout patet ex earum divisione sat communi, secundum quàm alia sunt civiles vel prætoriarum reales vel personales, aliæ prætoriarum rei persecutoriarum, aliæ poenales mixtæ, ut reliquas quàm plurimas subdivisiones tacito calamo præteream, hinc nemo incipias iverit, diversissimarum dari præscriptiones.

§. II.

In genere igitur omnes actiones civiles specialiter non exceptæ sunt perpetuæ id est: 30. annorum, per Text. in l. sicut 3. ibi: *actiones 30. annorum juri silentio vivendi ulterius non habeant facultatem.* sicut & qualibet actiones prætoriarum rei persecutoriarum l. 35. pr. ff. de O. & A. Excipiuntur autem ex classe priorum (a) actio hypothecaria sive serviana, quando scilicet contra debitorem ipsum, aut ejus hæredes agitur, quæ 40. demum annis excluditur l. 7. §. 1. Cod. b. t. (b) querela inofficiosi testamenti, quæ post quinquennium expirat l. 34. Cod. de inoff. test. uti & querela inofficiosæ donationis l. fin. Cod. de inoff. don. Hoc quinquennio etiam præscribuntur acculationes ex lege juliæ, uti stuprum adulterium §. 6. § 29. ff. ad l. jul. de adult. ZANGER. de Except. p. 3. C. 10. n. 213. Theod. in coll. crim. D. 6. Tb. 3. lit. 9. idem est in peculatu, & si extraneus contra Sæctum Silanianum tabulas aperuerit l. 13. ff. ad set. slan. (c) querela non numeratæ pecuniæ, quæ contra debitorem post biennium, adversus creditorem autem post 30. dies excluditur per l. 14. pr. § 2. cod. de non num. pec. (d) Actio injuriarum, utpote quæ elapso unico

unico anno rejicitur l. 5. *Cod. de inj.* & harum nonnullæ aliæ, quæ minoris momenti, ut studio brevitatæ hic prætermittendæ sunt,

§. III.

E posterioribus autem (quæ extra communem juris regulam exeunt) prætoris nimirum rei persecutoris sunt & aliæ contra jus civile introductæ quippe, quæ anno utili terminantur, l. fin. *Cod. de temp. in lit. rest.* § l. 35. in fin. *pr. ff. de O. & A.* inter quas specialissime numerantur *actio rescisoria*, quæ tendit ad id, ut rescindatur actus stricto jure civili validus, §. 5. *Inst. de Act. actio redhibitoria* & quanti minoris l. 28. & 38. *ff. de edilit. edict.* Item actio in factum de alienatione judic. mut. caus. l. 6. *ff. de alien. jud. mut. caus.* & demum *pauliana* l. 1. § 6. *§. fin. ff. que in fraud. cred.* & l. fin. *cod. de revoc. bis que in fr. cred.* Doli autem actio biennio excluditur l. fin. *Cod. de dolo malo.*

§. IV.

Postremò consideranda veniunt actiones prætoris poenales, quæ regularitèr loquendo singulæ unius anni spatio extinguuntur *pr. Inst. de perp. & temp. Act.* Hinc inter exceptas referuntur actio furti manifesti *d. pr. Inst. eod.* actio de dejectis vel effusis, si libero homini damnum datum, aut ipse læsus sit l. 5. §. 2. *ff. de bis, qui effud. vel dej.* Actio de servo corrupto l. 13. *ff. de servo. corrupt.* quæ omnes perpetuò durant. Quamvis jam de hæc materiâ præscriptionum sat amplâ, multò plura potuissent afferri in medium, attamen cum tractatum, sed dissertatiunculam conscribere intendi, hinc sisto, ita ut sit in nomine sanctissimæ

Triados, hujus dissertationis
meæ

F I N I S.

* * * *
O Mnia, quæ longa indulget mortalibus
ætas,

Hæc BERNARDE *Tibi* culta iuventa dedit:
Excoluit virtus animum, ingeniumque Ca-
moenæ,

Successu, studio, consilioque pari:
Nam modò doctri- param cathedram scandif-
se mereris,

Virtuti tantæ *Munia digna* precor!

*Hæc volante calamo Nobili ac Clarissi-
mo Domino Neo-Doctõri applau-
dens ponebat*

IGNATIVS TVRIN, J. V. D.

Q Vid celebras *Marios, Curios*, fortesque Ca-
millos

Miratrix veterum Martia Roma ducum?
Monstra animi domuere sphi, quæ terra vel
orcus

Protulit, Herculeâ sunt superata manu;
Omnibus egisti Major BERNARDE Trium-
phum,

Unde tuus cuncta in sæcula duret honos!

D

Vi-

Vicisti strenuè: præfert VICTORIA laurum,
Sumptâ *Hâc*, *Te* crebro vincere posse pu-
tem!

*Ita ex arenâ juridicâ victori reduci patrio-
ræ suo Nobilissimo ac Clarissimo Domino
Neo-Doctorando accinebat*

P. R. W.

Naturale bonum est, Claris genitoribus esse
Natum, seu pictas posse probare Ceras;
Plus Clarere juvat studio virtutis avitæ,
Et laudes in se continuare senum;
Et *patris* & *patrui* consurgit celsiùs in *Te*
Doctrina & virtus; Carpis utrumque decus:
Hinc decet ut voveam; magno sub fœnore
fructus
Ex *Te* speratos conferat alma Themis!

*Quibus cordialis cordialiter fausta
queque apprecari volebat*

F. P. J.

Postquam laude tuâ *patriam*, meritisque
beâsti,
Gene das animi pipnora rara tui.

Nam-

Namque ad supremum perducta *scientia* Cul-
men

Juris inest *Tibi*, quod pulpita sacra docent:
Laudis erat partæ *Tibi* Terna Academia limes,
Quo volet ulterius, Terminus, Orbis erit:
Apprecor ad *meritam spartam, sociamque* vo-
latum,

His *Tibi* conjunctis, plus mihi junctus eris!

*Per hæc Nobili ac Clarissimo Domino affini
suo de doctorali gradu gratulari debebat*

F. D. T.

Non procul à proprio stipite poma cadunt,
Est Pater, est Patruus legum jurisque peritus,
Sic non immerito scandis STRECKERE Ca-
thedram,

Nam vestræ petit hoc perdoctæ gloria stirpis.
Eja age macte animo! certamina docta subintres
Ingenitâ nodos ut dexteritate resolvas
Antagonistarum, monstra, quod vincere possis.
Jam flectit laurum, quæ tempora cinget, Apollo
Junget & applausus celebres tibi fama per or-
bem.

*Hicce Nobilissimo ac Clarissimo Dn. Doctoran-
do, de felicissimo gradu gratulatur*

FRANC. GVIL. TVRIN,
Caus. Adv. Ord. Hagiop.

IN teneris nunquam fardet, quam flammeus ardor
Concitat, ad famæ clara theatra ruit.
Lauri certamen speciosa brabea sequuntur,
Dum didicit forti tela vibrare manu.
Ordrysius vates viridi decoratur honore,
Rectè cum sciret sollicitare chelyn.
Sic quoque confertur TIBI summi laurus honoris;
Quem virtus peperit, quem peperitve labor.
Scandere sic fas est supremum culmen honoris;
Sic venit è Musis nescia fama mori.

*Hicce Nobili, ac Clarissimo Domino Doctorando
jam inde à multis annis sibi amicissimo no-
vos honores gratulari voluit*

JOAN. HENR. BRENNAV,
Opponens.

Q Visquis ad Augustam vult arcem scandere honoris,
Is prius angustam, cogitur ire viam.
Teque hoc expertum Fautor venerande, tenebo,
Cum dubias leges solvere primus eras.
Vicisti, juris specimen tu prodere jam audes.
Gratulor ex animo, prospera cuncta fluant.
Summum nunc confert Erfordia culmen honoris,
Præmia quæ nullo sunt peritura Die,
Hæc laus firma manet. Vigili quæ parta labore
Hanc tibi constanti nunc Themis alma parat
De fausto demum successu gratulor optans
Sit praxis felix! dulcis amice vale.

*Ita Pranobilissimo ac Doctissimo Domino Doctorando
summos in utroque jure honores capefcenti affe-
ctum suum specialem congratulari voluit*

JAC. FRANC. HIERONYMI,
J. C.

OS (o) SO



Erfurt, Diss., 1730


ULB Halle
005 367 816



3

V018







1738,7
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE
PRÆSCRIPTIONIBVS,

QVAM

DEO OMNIUM PRÆSIDE
EX DECRETO ET AVCTORITATE
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

IN ALMA AC PERANTIQA ELECTORALI
VNIVERSITATE ERFORDIENSI,

PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IURE HONORES,
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE AC LEGITIME CAPESSENDI,

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI

DIE IX. SEPTEMBRIS, A. MDCCXXXVIII.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
HORIS CONSVETIS,

AVCTOR

JOANNES MICHAEL BERNARDVS

Streder/

Dingelstadio - Eichsfeldiacus.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.